

AB

50B 13
z, 42

1027

g. 6.87


Theologie

P. v. 29t. 567

Nr. 162







ASSERTIONES
EX

V N I V E R S A
THEOLOGIA

S. THOMÆ.

QVAS

IN CELEBRI ET CATHOLICA ACA-
DEMIA PADERBORNENSI.

Auspice & Præside

DEO OPTIMO MAX-
IMO.

ITERVM PRO

LICENTIA DOCTORA-
LI IN PVBLICAM CONCERTA-
TIONEM PRODVDET,

R. D. H E N R I C V S

FRIDERICI SS. THEOL

Baccalaureus formatus.

Anno M. DCXXXI. Mensis Februario Die 24.

PADERBORNÆ,

Apud viduam HEIDENRICI PONTANI.



Arb 50 B 3/42

L 57

Admodum
REVERENDO CLARISSIMO AC AMPLIS-
SIMO DOMINO.

D· LA V R E N T I O
B V E L D E C A N O E C C L E S I-
A R V M G O S L A R I E N S I S A D S S . S I M O N E M
E T I V D A M , A C C O L L E G I A T Æ B . M . V I R G I N I S
Halberstadiensis Vigilantissimo, &c. Domino
suo plurimum colendo.

Dmirati olim sunt admodum Reverende Clari-
ssime, & Amplissimo Domine, Duo summi
monarchæ orbis Christiani, Clemens VII Pontifex
maximus, & Carolus V, Imperator totum Apo-
stolorum symbolum, & Principium Euangeliū
S. Ioannis, potuisse humano modo in denarioli
spatio, nulla dempta litera, inscribi. Iisdem maiori admirationi fuisset,
si manum illam vidissent, qua fertur vniuersa Dominica Passionis in-
signia, nulla exclusa Persona, in vnguis suis mira arte delineata cir-
cumtulisse. Supra hac fortasse ego possum plus tibi mirationis mouere,
quando nimis mira in hac tabella ad te affero, qua SS. Patres uelut
librarij quidam peritissimi penicillis quiq; suis expinxerunt, In qua,
quantulacunque est, legere possis omnium creaturarum rationalium
naturas, mortalium, & immortalium ordines, principia, finem. Imo
infinitam vnius Dei magnitudinem, Deitatis in triplici hypostasi
coniunctionem, & ut compendio loquar, videoas omnia cum Deo
totius

rotiu yniuersi creaturarum genera in aliquot linearum angustias
coacta. Ut nominis tui titulos hunc tabella presigerem, merebatur ad
scripsi tuis ordinis summa dignitas, quam bine Ecclesie, collegiata
B. Mariae Virginis Halberstadiensis, & Goslariensis SS. Simonis &
Iuda venerantur, & prater hanc, cum in rebus gerendis prudentia,
& singularis Iuris peritiae, cum virtutes, quibus velut lucerna ardens
in loco hac tenus caliginoso luxisti; denique ille benevolus fauor, quo
eos complecti soles, qui per Ecclesiastica munia diuinos honores curant.
Nec non nupera insperata Clarissima Dominationis tua in me, nulla
renus meritum, propenso, & humanitas singularis. Deam queso, ut
sanctam in charta hac velut in nigratate Numen expressum videat
denec idem ad Coelum subiectus a facie ad faciem eternum contem-
plaris. Vale, & fate. sic vobeam Paderborni 1631. 24. Feb.

Clarissima Dominationis vestro

Obseruantissime

B. Friderici

D. THOMÆ PARS PRIMA.

ASSERTIO PRIMA.

THEOLOGIÆ obiectum formale QVOD adæquatum, est ens diuinū; QVO, propositio reuelata. Ea est vera sapientia, discussiva, speculativa, practica, fide inferior, quauis scientia naturali dignitate, certitudine maior: vna specie infima qualitas. Causa illius principalis efficiens Deus; Subiectua, intellectus fide imbutus. Assensus habet supernaturales, certos; sed obscuros.

ASSERTIO II.

DE ESSENTIA DEI, ET ATTRIBVTIS.

Deum esse, fides docet, ratio demonstrat. Est ens necessarium, substantia completa, spiritualis, intellectualis, simpliciter perfecta. Primo, ac ultimò differt, à quauis alia re per suam existentiam. Attributa diuina inter se, & ab essentia virtute tantum distinguuntur. Intellectus noster ea actu distinguit, non autem intellectus increatus, aut creatus beatus. Essentialitet se includunt, tam de Deo, quam de se mutuo, verè, ac propriè affirmantur.

ASSERTIO III.

Deus est unus; sine compositione simplicissimus, sine varietate immutabilis; sine termino immensus; sine successione, initio, & fine possibili æternus; sine falsitate, summa & sua

A veritas

veritas; incomprehensibilis, ineffabilis; sine malitia & defe-
&tu Optimus; essentialiter & solus infinitus.

ASSERTIO IV.

Essentiam Dei oculus videre non potest: videt ut in se est, intellectus lumine gloriae (puræ creaturæ indebito) eleuatus; & in Deo ut in medio cognito creaturas, non omnes; nec enim potest; neque necessariò aliquas; sed quas eum scire ad beatitatem & statum interest. Visio Dei est cognitio intuitiva, directa, virtualiter reflexa, necessaria, simpliciter speculativa, secundum quid practica; perfectione individuali nunc æqualis, nunc inæqualis. Efficit eam Deus; lumen gloriae, intellectus creatus; coëfficit, non species impressa (licet possibilis) sed essentia diuina instar obiecti concurrens.

ASSERTIO V.

Nouit omnia Deus; seipsum, actus suos; res omnes pos-
sibles, futura contingentia, absolute, conditionata infallibili-
ter ab æterno; omnia in se ipso; reflexè ut in idea & verbo; di-
rectè ut in causa: priuationes, negationes, entia rationis, ma-
la culpx, per formam oppositam, aut causam in seipso cogni-
tam. Quæ Dei scientia est, vel simplicis intelligentiarum, vel me-
dia, vel visionis; nulla harum libertati creatarum officit.

ASSERTIO VI.

Obiectum voluntatis diuinæ primarium est Deus; se-
cundarium creatura; ille necessarium; hæc liberum. Decretū
Dei liberum, immutabile, & æternum, essentialiter & in reto
dicit essentiam, per modum actus vitalis conceptam, & termi-
nationem liberam ad obiectum, ab actu necessario indistin-
ctam; in obliquo obiectum terminans. Causam qua entitas
non habet: secus de terminatione.

ASSE-

ASSERTIO VII.

DE PRÆDESTINATIONE ET RE- PROBATIONE,

Est in Deo prouidentia immediata rerum omnium, & singularum: huius obiectum est Substantia creata; terminus, media, cuique ad finem suum necessaria. Supponit intentionem finis, & actum intellectus. Formaliter est actus voluntatis à gubernatione externa distinctus. Physica & moralis vniuerso est necessaria; supernaturalis non item: ut sit infallibilis prædefinitionem aliquam; hæc respectu actuum liberorum scientiā medium, prærequirit. Pœna & actus boni, si peccatum supponunt, illo præuiso; effectus naturales, & reliqui actus, si boni, in causis & in scipsis; sin mali, propriè non præfiniuntur.

ASSERTIO VIII.

Pars prouidentiæ integralis, est prædestinatio; quam definio, certum, efficax, infallibile, & immutabile diuinæ voluntatis decretum, de quibusdam Personis intellectualibus, per infallibilia media ad beatitudinem perducendis. Antecepit merita etiam præuisa. Eius effectus sunt omnia prædestinatio bona, tam naturæ, quam gratiæ; imo ipsa peccati permisso. Causa finalis, Gloria Dei, Honor Christi, perfectio vniuersi: Meritoriam ex parte hominis puri, nec ipsa habet, nec omnes eius effectus, quatenus sunt in mente Dei præparati: habere potuisset. Meritoria nihilominus eiusdem, ut est dilectio specialis ad gratiam & gloriam, non ut electio, est Christus.

ASSERTIO IX.

Reprobatio, altera pars prouidentiæ, alia est negatiua, qua quibusdam electis, quosdam Deus non elegit: alia positiva, qua decreuit improbis, præuiso demerito, damnationem, illius proinde ratio, est diuina voluntas; huius peccatum finale. Negatiua terminus, est permisso

A 2

peccati

peccati secum trahentis effectum damnationis: positiuæ damnatio; peccatum, neutrius. Et quamuis, quo signo Deus electis voluit efficaciter gloriam, præscitis eandem efficaciter non voluerit; voluit tamen ijsdem beatitudinem, vero, & formaliter actu voluntatis, libero, benevolæ intentionis, verique desiderij, partim absoluto, partim conditionato.

ASSERTIO X.

DE SS. TRINITATE.

Tres sunt Personæ diuinæ, quarum vna, & singularis est essentia; quæ infinite fæcunda, infinite per geminas processiones ad intrâ se communicat. Harum principiū QVOD, est persona producens; QVO remotum, natura; proximum, intellectus, & voluntas. Conditio sine qua non, personalitas: Terminus totalis, persona; formalis, natura personæ productæ communicata. Processio Filij est vera generatio, ratione prior omni circa se volitione. Processio Spiritus Sancti proprie est spiratio, neutquam generatio.

ASSERTIO XI.

In Deo vna est subsistentia absolute essentialis; tres relativæ, quæ singulæ, sunt perfectiones infinitæ in suo genere, simplices, non simpliciter, singulæ essentialiter Deus, non contrâ. Quatuor item relationes reales, tres realiter inter se distinctæ, personarum constitutiæ; & distinctiæ; nulla realiter componens. Adhæc notiones quinque, Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, & processio. Actus notionales duo, dictio, spiratio, voluntarij, non liberi. Denique, origines sunt actus, quibus Persona producit, & producitur.

ASSERTIO XII.

Est in personis æqualitas perfectionis, ordo originis, περιχώρησις; Pater à nullo, Filius à Patre, Spiritus Sanctus ab utroque mittitur. Verbum procedit ex cognitione totius Trinitatis, & scientia simplicis intelligentiæ; Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, ut uno principio, & spiratore, ab utroque æque immediate, per amorem item totius Trinitatis, & esse eminentialis

tialis creaturarum in Deo. Spiritus S. si à filio non procederet,
neque ab eo distingueretur.

A S S E R T I O X I I I .

Potentia Dei est ipsa eius essentia, & natura, quatenus
est principiū, QVOD principale, & immediatum actionis ad
extrā: infinita intensiūe, extensiūe, in se formaliter vna, & sim-
plex; vera omnipotentia: nullam dicit realem relationem ad
creaturas etiam possibiles. Obiectum eius adæquatum est ens
possibile, contingens, producibile sine defectu operantis.

A S S E R T I O X I V .

D E A N G E L I S .

Angeli sunt natura sua incorruptibles, purè spirituales;
specie, numero diuersi. Cognoscunt se per suam substantiam;
in illa Deum, vnicō actu necessario. Species habet, vt quisque
perfectior est, vniuersaliores, à Deo acceptas, rerum omnium
quandoque existentium, non purè possibilium, non futurorū,
non præteriorum, vt sic. Vno actu non vident omnia. Circa
inevidētia discurrunt, non alia: supernaturalia in entitate,
intuitiūe in se, aut euidenter in alio, naturaliter non attingunt;
sicut nec cogitationes cordium, nisi à cogitante manifestata:
quæ manifestatio fit per speciem conceptus mentalis à mani-
festante impressam; &, si sit de re naturali, simplex locutio; si
de supernaturali, illuminatio est.

A S S E R T I O X V .

Angelus est in loco per modum vocationis formaliter
diuisibilem, à substantia ex natura rei distinctum, determinatū
versus maximum magnitudinis, non minimum. Plures in vno
adæquato, non vnum in pluribus simul distantibus esse potest.
A spatio in spatiū quandoque continuè transit, nonnunquā
discretè; nunquā in instanti, aut sine medio in distans. Motum
localem, & vbi immediatè, alia mediatè tantū producit. Cor-
pori vnitur, vt motor mobili; in eo actiones vitales nō exercet.

A S S E R T I O X VI .

In electione etiam non est inflexibilis. In primo instanti

A 3 crea-

creationis, physicè quidē, non tamen moraliter peccare potuit; mereri potuit; & verō meritus est, de congruo primā gratiā, de condigno primā gloriam: utramque pro gradu naturalis perfectionis auctiorem. In secundo instanti, pugnatum à bonis, Duce Michaële contra malos Antesignano Luciferō V N I O N E M hypostaticam ambiente. Vicere boni, victi mali. Tertio instanti, illi gloria cæloque donantur; hi panoplia supernaturali exuti, æternis sensus, damique pœnis, & orco addicuntur: ubi præter vermē dentatum, qualitatem deformantem ab igne vero impressam, etiam longè dissipati patiuntur æternum.

PRIMA SECUNDÆ.

ASSERTIO XVII.

DE BEATITUDINE.

Finis ultimus creaturæ rationalis, est beatitudo; obiectua Deus, formalis essentialis, visio Dei. Ex hac manant amor, & gaudium benevolentiæ, concupiscentiæ, securitas perpetua, ea intellectus infallibilitas, & voluntatis impeccabilitas, ut ne per absolutam quidem Dei potentiam, aut iste errare, aut hac peccare possit, idque ratione amoris simul ac visionis.

ASSERTIO XVIII.

A morte Christi, animæ iustorum expiatæ, statim beatitudinem essentialē consequuntur, in resurrectione accidentiter auctiorem accepturi. In hac resurgent eadem numero corpora, eadem perfectione qua constabant moritura. Perspicua reddet lux corporalis supernaturalis, alterius speciei à nostra, oculo corporeo visibilis, Impassibilia qualitas infusa formaliter excludens omnem mutationem corruptiuam. Agilia vis motrix spiritualis potentia motiæ animæ à Deo superaddita. Subtilia denique virtus motiua naturalis & supernaturalis animæ, quatenus est vis actiua obedientialis apta mouere corpus cum alterius penetratione. Neque suæ externis internisque sensibus delectationes deerunt.

ASSERTIO XIX.

DE ACTIBVS HUMANIS.

Omnis, & sola voluntas etiam operans, est potentia for-

maliter libera: ab increato bono clare viso, rapitur necessario.
In actibus elicitis cogi non potest; habet pro obiecto, bonum
qua tale. Voluntarium aliud est necessarium, aliud liberum:
hoc in via, illud in patria perfectius est. Libertatem violen-
tia tollit, metus auger, sicut & concupiscentia, & habitus, vo-
luntarium; quæ tamen libertatem minuunt, ut & ignorantia
consequens; comitans nunc tollit, nunc minuit: antecedens
voluntatis & operis destruit.

A S S E R T I O X X .

Actus moralis procedit liberè à potentia libera, dignus
laude vel vituperio. Moralitas est extrinseca denominatio a-
ctus liberi, à voluntate liberè operante; Diuiditur in bonum &
malum adæquate: nullus est in individuo indifferens. Actus
externi materialē bonitatem & malitiam ab obiecto; forma-
lem ab internis imperantibus secundariō & extrinsecè partici-
pant. Internus ex obiecto bonus, malus non sit, nec contrā:
& hic, & ille, ex fine extrinseco & circumstantijs malitiam, bo-
nitatemue acquirit; indifferens modo bonus, modo malus esse
potest.

A S S E R T I O X X I .

D E P E C C A T I S .

Definitur peccatum actuale; voluntaria legis æternæ trans-
gressio. Est malum, malitia absoluta & respectiva, explicitè, vel
implicitè in omni statu & subiecto. Differt vnum ab alio spe-
cie morali, quoties motuum est specie diuersum. Aliud est
commissionis, aliud omissionis; sed puræ omissionis nullū ferè
datur, dari posset. Quin omissione, etiam extra statum libertatis,
datâ prius liberè causâ, peccatum est. Sed dico, illius causa non
est, quicquid cum re præcepta est incompossibile, at id dunta-
xat, quo res præcepta excluditur. Aliud item mortale, aliud est
veniale.

A S S E R T I O X X I I .

Veniale ex natura, est leuis offensa sine auersione à Deo;
Est simpliciter contra præceptum: nunquam sit mortale intra
candē speciem, quamvis remotè ad mortale disponat: in Ange-
lo aut homine innocente, primū ob extrinsecā Dei protectionē
esse non potuit, in hoc iam esse potest. Mortale inesse mortalis
constitutitur per malitiam auersionis à Deo, tanquam sine ul-

timō; quæ auerſio est propria iniustitia. Vtrumque est malitiæ secundum quid infinitæ. Mortale pœna damni, & sensus æterna; veniale per se vtraque, sed temporali, per accidens etiam æterna punitur. neutrum sine Deo fit; illius tamen causa per se propriè nulla est, per accidens voluntas creata, non Deus; subiectiua, eadem voluntas: formalis, priuatio rectitudinis debitæ actui, vel potentiæ, aut carentia actus debiti; finalis, motiuum actus.

A S S E R T I O X X I I .

Peccatum habituale aliud est personale, quod est ipsum actuale moraliter permanens nondum remissum; aliud originale, quod est peccatum Adami moraliter in posteros transfusum; origine quidem vnum, suum tamē singulis proprium: in essentia animæ primariò, in voluntate alijque potentijs secundariò hæret. Causa illius efficiens moralis, non physica est primum actuale Adami; paterni seminis vi, sed remotè & per accidens transfunditur: essentialiter est voluntaria priuatio iustitiae originalis, non totius, sed supernaturalis, siue gratiæ. Trahit secum præter alia, quæ quotidie experimur, nisi expietur, æternum damni, non sensus supplicium.

A S S E R T I O X X I V .

D E L E G I B V S .

Lex est præceptum commune, iustum, ac stabile, sufficierter promulgatum. In legislatore est actus voluntatis efficax obligandi subditos; in subdito, iudicium intellectus praticum de re ex lege superioris facienda, omittenda. Causa finalis, bonum commune. Efficiens, legislator publica potestate munitus. Materialis obiectiua, actiones morales subditoru. Subiectiua, voluntas & intellectus. Diuiditur in æternam, naturalem, & positivam; hæc in diuinam, Mosaicam vel Euangelicam; & humanam, Ecclesiasticam, vel ciuilem.

A S S E R T I O X X V .

Pentecoste, legi Mosaicæ, quæ solos Iudæos ligabat, exodium, exordium Euangelicæ dedit; illa post excidium Hierosoly-

rosolymitanum per legalium cæmoniarum vsum, culpam; hæc sanctimoniam parit; dispensationem humanam respuit; simplicem interpretationem admittit. Legi humanæ directè externæ tantum actiones subiacent: obligat sub graui sæpe culpa, ipsum adeo legislatorem. Civilis territorij fines non excedit. Canonica solos baptizaros stringit. Purè pœnalis obligat quidem, sed non sub culpa, ad pœnam. Impunitatem peccantium permissua vult, scelera minimè. Consuetudo, & vim & naturam legis habet, Legislator, aut eo superior, ut legem sciscere, ita abrogare potest.

A S S E R T I O X X V I .

Actualis gratia est donum supernaturale transiens, adulatis omnibus ad conuersationem, integrum obseruationem legis, non peccandum, & perseverantiam necessarium. Excitans gratia est motio in entitate, vel modo supernaturalis, intellectui aut voluntati à Deo impressa, ad consensum prouocans. Moraliter adiuuans gratia est eadem cum excitante. Physicè adiuuans est vel Deus animæ excitatae assistens, vel habitus infusus. Sufficiens est principium productuum actus supernaturalis, ex defectu voluntatis nihil faciens. Efficax est simile principium congruum, & infallibile, per infallibilitatem neque ex consensu liberi arbitrij, neque ex physica, aut morali prædeterminatione, neque ex congruitate naturali, sed proposito, & media Dæi præscientia ductam. Efficax sufficienti nobilior in esse moris & gratiæ, non item naturæ, multis; sufficiens datur omnibus.

A S S E R T I O X X V I I .

Gratia sanctificans est habitus infusus, à caritate, cæterisque virtutibus realiter distinctus; eius causa efficiens est Deus; finalis, gloria Dei, Christi, & sancti hominis; formalis, ipsamet habitualis entitas; materialis, essentia animæ, è qua educitur; dispositiva moralis, actus fidei, spei, pœnitentiæ, charitatis. In via electis & reprobis communis, augescit sine termino intrinseco; notitiam moraliter certam sui possessoris

B haud

haud fugit, sed fidem : per mortale demeritorie perditur, iterumque per gratiae auxilium recuperatur.

ASSERTIO XXVII.

Effectus formalis, & connaturalis gratiae sanctificantis est iustificatio ; quae non sit per externam & imputatitiam, sed veræ sanctitatis, ac iustitiae infusionem, coniunctam cum vera condonatione, & extirpatione peccatorum : extra ordinem imperfecto modo fieri posset absque illa physica peccatoris mutatione, per actum, habitumue inducta. Sanctificans cum peccato lethifero ordinariè stare nequit, absolute potest.

ASSERTIO XXIX.

Alter effectus gratiae, & fructus est meritum, id est, actus positius, liber, moraliter bonus, supernaturalis, viatoris, qui coniunctus cum sanctitate pœtæ creaturæ, & pacto Dei, meritum statuit condignum; sejunctum ab utroque, congruum. Illius præmia sunt gratia secunda, gloria cœlestis, auxilia gratiae, & bona temporalia ad salutem necessaria ex iustitiae commutatiæ, & distributiæ legibus; huius, gratia prima, auxilia sufficientia & efficacia, donum perseverantiae, bona temporalia ex fidelitate, & decoro pensitanda. Augent meriti valorem operis obiectum, finis, libertas, mora temporis, personæ dignitas.

SEGUNDA SECUNDÆ.

ASSERTIO XXX.

DE HABITIBVS THEOLOGICIS.

Inter virtutes Theologicas, generationis ordine prima est fides, interna Ecclesiæ militantis forma, habitus unus, ac simplex, formaliter speculatius, & practicus, sine discursu, supernaturalis, augmenti capax, decrementi tantum per absolutam potentiam. Habet pro obiecto materiali, secundum se, propositionem reuelabilem; ut Catholica, formaliter in se, vel in alio reuelatam : pro formali, primam veritatem reuelantem. Actus fidei certus, sed obscurus, alium eudentem circa suum

ca suum obiectum simul compatitur. Est honestus, supernaturalis, omnino liber, species in intellectu supernaturales non supponit, sed supernaturale imperium in voluntate, quod obedientia fidei dicitur, & pro obiecto habet honestatem credendi, si des in patria & damnatis non est: paganisnum, Iudaismum, hæresin non fert.

ASSERTIO XXXI.

Credere fide diuina nemo debet, nisi à proponente fidem clare ostensum sit, articulos propositos euidenter credibiores quamunque opposita doctrina. Regula fidei in animis adæquata est verbum Dei scriptum, traditum. Animata, & iudex controversiarum, Pontifex Romanus, & que in rebus fidei decidendis, ac morum decretis, uti & solemini sanctorum Canonismo, quando ex Cathedra loquitur, infallibilis; siue loquenti Concilium assistat, siue non.

ASSERTIO XXXII.

Ecclesia est corpus politicum eorum, qui fidem, ac doctrinam Christi sub uno in terris Capite profitantur. Cœpit quoad substantiam in Paradiſo; ut à fide nunquam defecit, sic neque à sanctitate, qua Christi est. Potestas eius externa spiritualis, Monarchica, mixta aristocratiæ, sublimior politica D. Petri in Romana Cathedra successoribus, à Christo immediatè delegatur. Esse veram Ecclesiam, quæ sub obedientia Urbani VIII, nunc perseverat, est de fide.

ASSERTIO XXXIII.

Spes, fide naturâ, non dignitate posterior, vna specie qualitas, supernaturalis, in est voluntati viatoris, fidelis, & Beati. Eius obiectum materiale princeps est beatitudo nostra, formalis, obiectua, siue Deus visus; secundarium media omnia ad Deum, aut simpliciter, aut melius possidendum necessaria. Obiectum A vel IN QVO principale idem Deus; secundarium etiam creatura rationalis. Obiectum C VI, ipse sperans. Actus spei honesti sunt, & supernaturales. Quod si Deus tuam tibi damnationem reuelet, de beatitudine licet desperabis.

B 2

ASSER-

ASSERTIO XXXIV.

Caritas Regina & forma virtutum, virtus Theologica
supernaturalis est, vna specie infima, eiusdem speciei in via, &
patria; in hac perennat, in illa (etsi suæ perfectioni terminum
intrinsecum non ponat) amitti potest, diminui non potest.
Fertur in Deum supernaturaliter cognitum, quatenus in se in-
finitè bonus, infinitè perfectus est. Extra Deum, nihil, nisi ut
rem ipsius Dei amare potest: ordinata est. Comites habet ca-
ritatē Theologicam naturalem, & moralem, interdum super-
naturalem. Complectitur actu vel substantialiter, vel etiam es-
sentialiter perfectiore Deum, quam creaturas, nobiliore ini-
micum, quam amicum, excellentiore in patria summum bo-
num clarè visum, quam in via obscurè cognitum.

ASSERTIO XXXV.

Iustitia est constans, & perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi. Diuiditur vniuersim in iustitiam simpliciter, & secundum quid. Iustitiæ simpliciter obiectum materiale QVOD proximum, est actio conseruatiua, aut reparatiua iuris alieni; C VI, omnis & sola substantia intellectualis; Formale QVOD debitum simpliciter; C VI, ius residens in eo quem iustitia respicit. Motuum legalis, est IVS COMMUNE qua tale; Terminus formalis IVS ALTVM: commutatiuæ, STRICTVM, REMISSVM, distributiua. Inest omnis iustitia infusa, acquisita voluntati. In Deo est commutatiua & distributiua: Legalis, & vindicatiuæ vices agit gubernatiua.

ASSERTIO XXXVII.

Nec seipsum, nec innocentem dire^{et}e licet occidere; invasorem iniustum in certo casu licet. Non probo, quod in criminis magiae ex sola denuntiatione complicum, perlonæ, aliæ integræ famæ ad torturam rapiantur. Peccat iudex, qui, quem priuatim nouit nocentem, nec publicè conuictum, siue quem priuatim scit innocentem, quamuis publicè conuictum condemnat. Reus non legitimè interrogatus respondere ne-



cessere non habet. Qui vi, aut metu torturæ, alteri falsò crimen
imposuit, reuocare tenetur; qui verò sibi, si metuit, ne ad equu-
leum retrahatur, minimè. Contractus ex errore circa substan-
tiam, vel metu iniustè incusso initus, iure naturæ nullus est,

PARS TERTIA.

ASSERTIO XXXVII.

DE HOMINE DEO.

Incarnatio conueniens, non tamen ad condignam satisfactionem pro peccato mundi simpliciter necessaria fuit. Ea est vera actio transiens, substantialis, humanitatis Christi non productiva, sed unitiva, Terminus illius ad QVEM adæquatus, est una persona, IN & EX duabus naturis diuina, & humana perfectè subsistens, substantialiter composita, proximè ex substantia Verbi & Humanitate: Formalis, unitio hypostatica, natura sua incompossibilis personalitati propriæ creatæ; maximum donum Dei; unionum maxima. Nec solum Verbū, sed etiam aliæ personæ possunt terminare creatam naturam; nec solum una unam, sed & omnes unam, & singulæ plures. De facto tamen tantum terminat unam verbum, non in aliquo absoluto, etsi potuerit, sed per se primò in proprietate relatiua. Terminare eandem potuit alienum suppositum humanum, sed non vi sua.

ASSERTIO XXXVIII.

Affumptibilis est secundum hypostasin, tam natura completa, quam partes physicæ essentiales, integrales; non suppositum, non accidens, nisi in hypostasi. De facto assumpsit Verbum naturam huminam immediate, cum omnibus partibus, quæ ad eius integratatem pertinent; ita tamen, ut prius ordine intentionis fuerit vñita Verbo humanitas, quam partes, ordine executionis prius partes secundum se, quam humanitas. Communicatio idiomatum, quæ sequitur incarnationem factam, consistit non in reali communicatione attributorum,

B 3 fed in

sed in eo solum, quod ex vi vñionis factæ prædicata diuina, & humana, in concreto de eadem persona verè affirmentur.

A S S E R T I O X X X I X.

Decretum incarnationis plures habet fines adæquatos; prior origine etiam positivè, est excellentia mysterij; posterior, redemptio generis humani: vnde venisset Christus Adamo non peccante, sed in carne passibili, non nisi peccante. Causa physica efficiens principalis incarnationis est solus Deus, instrumentaria nulla fuit, esse potuit. Moralem meritoriam, sed imperfectam de congruo, vt exhibita, etiam quoad substantiam, non vt prædestinata, habuit Patres antiquos, Matrem insuper Dei. De facto nullum Christi meritum intercessit; probabile tamen est meruisse incarnationem, vt continuata, ad nouas partes materiæ extensam, in resurrectione restitutam.

A S S E R T I O X L.

Christus non solum quà Deus, sed etiam quà homo rectè colitur Latrìa; humanitas præcisa, crux, aliaque instrumenta Passionis, latrìa relatiua. Eius corpus factum est ex substantia matris in instanti, ea perfectione, quæ deceret viuum diuinitatis templum; præditum omnibus potentijs corpori humano connaturalibus, subiectum nihilominus defectibus qui toti naturæ humanæ sunt communes; quos deinde perfectè detersit per dotes supernaturales corpori beato proprias resurrectio. Potentia miraculorum permanens, in Christo obedientialis, & physica est.

A S S E R T I O X L I.

Anima Christi passibilis fuit; vt reliquorum hominum, tristitia, timori obnoxia: desijt esse talis in instanti separacionis. Sancta fuisset propter solā V N I O N E M, ei tamen superaddita fuit signo rationis posteriore gratia habitualis, eiusdem specie cum nostra; in qua nunquam creuit, absolutè crescere potuit: Hanc stipauit comitus omnium virtutum, per se, per ac-

per acidens infusarum, quæ visioni beatificæ non repugnant,
neque imperfectionem in habente supponant.

ASSERTIO XLII.

Intellexus Christi humanus, diuina intellectione intel-
ligere non potuit; Visionem beatam à primo instanti Concep-
tionis habuit, perfectiorem aliâ cuiuscunque Beati, finitam
tamen quoad intensionem, incomprehensiam Dei. Scientiæ
beatæ comes fuit scientiâ per se infusi, re ipsa à priore distincta
iudicativa sine discursu, qua extra Verbum in proprio genere
cognouit res omnes naturales, actus liberos, quâ Angelorum
quâ hominum; res item supernaturales quidditatib[us] & intui-
tiu[m] : Ex rebus denique creatis, omnia in Verbo cognita, pos-
sibilitia etiam multa non tamen omnia. Habuit adhæc scien-
tiā naturalem ab initio inditam; hac naturalia cognouit ea
perfectione; qua anima separata, dependenter à speciebus in-
tellectualibus à Deo infusis. Habuit insuper scientiam expe-
rimentalem acquisitam, qua res illas tantum cognouit, qua-
rum species à sensibus astraxit.

ASSERTIO XLIII.

Sequitur voluntas physicè impeccabilis ab intrinseco;
libera adeo ad bonum, ut potuerit liberè mori, qui necessario
debuit. Meruit autem Christus per omnes actus liberos hu-
manæ naturæ, continuè ab instanti Conceptionis, usque ad
instans mortis; sibi quidem exaltationem nominis, & gloriam
corporis tantum; electis perseverantiae donum, & prædestina-
tionem, sicut præscitis dilectionem. Neque id mirum, cum
valor operum eius fuerit infinitus propter infinitatem Perso-
næ operantis, subiecti, & materiæ circa quam; adeo ut propte-
rea omnia, & singula ex se condigna fuerint cuicunque præ-
mio, imò omnibus præmijs possibilibus. Satisfecit pro no-
bis ex rigorosa iustitia, quomodo nulla creatura potuerit Deo
satisfacere.

ASSER-

A S S E R T I O X L I V.

Christus quà homo, vel quà Christus, est mediator, item Sacerdos, Aduocatus, Caput omnium hominum, & Angelorum, non tamen damnatorum: Rex Regum propter Dominum excellentiæ in omnes creaturas; legi nihilominus diuinæ naturali, & speciatim quibusdam diuinis positiuis præceptis subiectus qua homo: seruus item, & prædestinatus, filius Dei naturalis, non adoptiuus: Denique Substantialiter filius Mariæ, quam merito filij Redemptoris ab originali præseruatam, nullum vñquam actuale infecit, somite planè extincto. Momento Conceptionis ratione vñsa, non primam gratiam, sed primam gloriam meruit, dignitatem Maternitatis de congruunt; electionem ad illam nullo modo: tandem gratiam quam ab initio accepit vberiorem præ omnibus sanctis in immensum auxit; nunc in cœlo anima & corpore beata triumphat,

A S S E R T I O X L V.

D E S A C R A M E N T I S.

Septem nouæ legis Sacraenta Christus instituit; gratiam infallibiliter ex opere operato pro subiecti dispositione conferunt: producunt eam physicè, per accidens interdum etiam moraliter, in instanti intrinseco, quo nunc sunt perfectè & consummatè. Præter Eucharistiam omnia sublato obice reuiuiscunt. Tam minister, quam suscipiens est homo viator, non tamen quilibet cuiuslibet. Sine intentione saltem virtuali administrantur in ualide.

A S S E R T I O X L V I .

Baptismus est medium omnibus (extra martyrium) ad salutem necessarium. Validè à quouis, non semper licet confertur. Validus est, & multiplicatur physicè collatus à multis, ut caufis totalibus. Validus item, quamvis non licitus, collatus infantibus infidelium, inuitis etiam parentibus. Materia essentialis remota, est aqua elementaris; proxima ablutio. Efflusus

THEOREMATA DE SACRAMENTIS

Etus eius necessarius est character, primarius gratia, & comites eius individuæ, virtutes. Tollit omnem culpam, ac pœnam propriè dictam. Circumcisio, & sacramentum naturæ adultis ex opere operantis, parvulus ex speciali Dei prouidentia tantum, ad salutem proderat. Martyrium ex priuilegio iustificat tam infantes, quam adultos.

ASSERTIO XLVII.

Sacramentorum dignissimum Eucharistia, constat essentialiter ex Corpore & Sanguine Christi, & speciebus consecratis. Vtraq; species constituit unum specie insima adæquatum, efficit nihilominus quælibet, imò cuiuslibet speciei pars unum numero Sacramentum. Materia ex QVA Corporis, panis triticus; Sanguinis, vinum ex vite, cui modicissima aqua admiscenda, quæ nisi in vinum priùs, in Sanguinem non conuertitur. Formam norunt initiati: Vera est speculatiæ, & practicæ, in, & pro instanti ultimo consecrationis, ex cuius vi fit conuersio, quæ est vera actio, non adductiua, sed productiua substantiæ Christi, ideoque propriè transubstantiatio. Christus in Eucharistia præsens est indiuisibiliter, per VBI supernaturale Sacramentale, formaliter diuisibile, virtute indiuisibile. Unio Christi cum speciebus est vel physica effectiua, vel moralis. Per se tantum gratiæ una species laico, quantum vtraque Sacerdoti confert.

ASSERTIO XLVIII.

Christus in hoc Sacramento naturaliter non alteratur; nec ipse ordinariè alterat: desinit non localiter tantum, sed etiam substantialiter: agit immanenter, independenter à sensibus; dependenter tantum potest supernaturaliter. Videt seipsum, & cognoscit: videt intellectus creatus quoad AN EST; quoad QUID vel QVOMODO est, non nisi eleuatus. Oculus nō sua, sed Dei virtute illum intuetur. Eucharistia est etiam sacrificium, cuius essentia est sola consecratio; materiâ ex QVA, panis & vinum: res oblata. Christus latens sub speciebus; quæ in quantitate

C

titate

titate ut subiecto suo connaturali; quantitas verò extra omne
subiectum, per modum posituum subsistendi per se, conser-
uantur.

A S S E R T I O X L I X.


Virtus pœnitentiae est iustitia ad Deum. Præcipuus eius
actus contritio est ultima dispositio ad gratiā, extra sacramen-
tum & martyrium, ad noxæ lethalis remissionem necessaria;
VENIALEM informis de cōgruo, formata, hanc de condigno de-
let. Eius præceptum non videtur per se, extra periculū mortis
obligare. Sacramentum præcipue Ioannis 20. institutum: eius
materia remota est omne peccatum hominis baptizati; proxi-
ma essentialis actus pœnitentis, dolor formalis superna-
turalis, & confessio; integralis, satisfactio. Forma, A B-
SOLVO TE, in absentem, aut sub conditione de futuro
prolata, nulla est. Informe ex defectu doloris vniuersalis, ali-
quando validum est. Tam hoc, quam quodvis meritum mor-
tificatum, ablato obice, in primo statim instanti iustificationis
reuiuiscit. Contrà peccatum semel remissum, de potentia ab-
soluta quoad culpam redire non potest, quoad pœnam non
implicat. Sigillum Confessionis inuiolabile, iuris diuini est.

A S S E R T I O L.

Matrimonium est contractus, quo legitimæ Personæ
mutuum sibi dominium in corpora tradunt ad usum matri-
monij: inter solos baptizatos est essentialiter Sacramentum;
cuius materia est mutua corporum exterius expressa traditio;
forma acceptatio: ministri, ipsi contrahentes. Clandestinum
rectè Tridentinū irritat. Consummati vinculum, supposita Dei
institutione, iure naturæ est insolubile. Ex concessione insti-
tutoris Dei, olim libellus repudij debatur; nunc matrimoniū
etiam consummatum inter infideles initum, altero conuerso,
soluitur per nouas conuersi nuptias, ex priuilegio Christi. Ra-
tum fidelium tum professio solemnis alterius coniugis in Re-
ligione, iure tantum Ecclesiastico, tum Pontifex potestate ad
id specialiter à Christo accepta, relaxat. Christianorum con-
summa-

EX SACRIS LITERIS.

summatum quoad vinculum nemo unus, nisi qui polygamiam permisit, ac vetuit, dirimere potest; iure tamen naturæ diuortium aliquando licitum est.



EX SACRIS LITERIS.

I.

Impie abutitur Caluinus i. Institut. c. 18. illo Rom. 1. 24. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. ad probandum Deum esse auctorem peccati.


II.

Neq; ex illo Marci 16. 16. Qui non crediderit condemnabitur. Neq; ex illo Matth. 18. 6. Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt. Neq; ex illo Heb. 11. 6. Sine fide impossibile est place-re Deo. Lutherani vñquā euincent, infantes actuali fide credere.

III

Sine cerebro Lutherus ex illo Isai. 41. 23. Bene, aut male, si potestis, facite, colligit liberum arbitrium esse figmentum in rebus, seu titulum sine re.

F I N I S.



AB: 50B 13
7,42


ULB Halle
003 422 100




3

VD 77





Farbkarte #13



ASSERTIONES
EX
V N I V E R S A
T H E O L O G I A
S. THOMÆ.
QVAS
IN CELEBRI ET CATHOLICA ACA-
DEMIA PADERBORNensi.
Auspice & Præside
D E O O P T I M O M A X-
IMO.
ITERVM PRO
L I C E N T I A D O C T O R A-
LI IN PVBLICAM CONCERTA-
TIONEM PRODVSET,
R. D. H E N R I C V S
FRIDERICI SS. THEOL
Baccalaureus formatus.
Anno M. DCXXXI. Mensis Februario Dic 24.
PADERBORNÆ,
Apud viduam HEIDENICI PONTANI.